

## Die Urkunden Karls des Großen, 83

(C.) Carolus gracia dei rex Francorum et Longobardorum vir inluster. Si enim ex his, que divina pietas nobis affluenter tribuit, locis venerabilibus concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Pro quo donamus villa nostra Hagreberingas ad sacrosanctam ecclesiae beatissimi Dionisii marthuris, ubi sanctus Uaranus marthur corpore requiescit in loco que dicitur Hagreberingas et venerabilis vir Folradus abba preece videtur, quem ipse in sua proprietate infra ipsa fine Hagreberingas super fluvium Brancia in docato Alamanorum in comitato Hurnia novo construxit opere, hoc est fisco nostro Hagreberingas, quantumcumque in ipsa curte Hagreberingas habere visi sumus et ibidem aspicere viduntur, cum apendiciis, id est tam terris domibus aedificiis mansis mancipiis acolabus litis libertis silvis pratis pascuis aquis aquarumve decursibus mobilibus et immobilibus farinariis gregis cum pastoribus peculium utriusque sexus, tam maiora quam et minora, totum et ad integrum ad die presente ad ipsa casa dei vel partibus sancti Uarani plenissima voluntate concessimus atque indulsumus pro luminaribus et stipendia monachorum. Propterea hanc preceptionem auctoritatis nostre conscribere iussimus, per quam omnino iubemus, ut ab hac die tam ipse Folradus abba quam et sui successores predictam rem ad partem iam dicte ecclesiae sancti Uarani habeant, teneant adque possideant et quicquid exinde ad profectum eiusdem ecclesiae facere elegerint, in omnibus Christo propicio licenciam habeant potestatem faciendi; et nullus ex iudiciaria potestate aut qualibet persona predicto Folrado abbate nec sancto Uarano neque iuniores aut successoribus suis de memorata rem inquietare nec contra rationis ordine vel calomniam generare quoque tempore pontificium non habeant, sed hoc ex nostre confirmationes donum iure domino adiuvente ad ipsa casa dei valeat possedere firmissimum et ipsa congregatio ibi consistencium pro me valeant domini misericordia adtencius exorare uxoreque nostra prolis et leudis, ut per intercessione sancti Uarani illius congregacione mereamur adeptisci vitam aeternam. Et ut haec auctoritas firmior habeatur vel nostris et futuris temporibus melius conservetur, manu propria decrevimus roborare et de anulo nostro iussimus segelare.

[Signum] (MF.) Caroli gloriosissimi regis. (SI. D.) [Rado] advicem [Hitherii] (SR.).